

Aduertencias para

rum, & aliorum præfatorum infide Catholica, & obedientia Sanctę Romanę Ecclesię. Et quod præfata auctoritas extendatur etiam quo ad omnes actus Episcopales exercendos, qui nõ requirunt ordinem Episcopalem, donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Hęc ibi.

¶ Pro declaratione huius literę Apostolicę, in qua includuntur multa concessa fratribus Mendicantibus, aliqua sunt animaduertenda.

- 15 ¶ Primo aduertendum est, quod prælati, quibus conceditur ista potestas in Breui Adriani. 6. non sunt Priores cõuentuales, nec Guardiani, nec Vicarij Prouinciales, sed solum Prouinciales, vel Vicarius prouincię, mortuo Prouinciali, vel Vicarij Generales ordinis. Quia dicitur in litera, quod debent permanere sub obedientia Ministrì Generalis ordinis isti prælati, quod non potest intelligi, nisi de Prouincialibus, vel Vicario prouincię, sede vacante, alij autem sunt sub obedientia Prouincialis. Item quia sequeretur absurdum, quod Priores, vel Guardiani quatuor fratrum haberent in suo conuentu omnem auctoritatem, quam habet Generalis per totum Ordinem.